

## MUSCALA

*Epilogatio totius & omnium supradictorum  
rum summaria recapitulatione.*

Sumatur ergo lapis in capitulis sufficienter notus. Et cum operis instantia assiduetur, super ipsum perfectio sublimationis, ut mundetur per hoc & subtilietur, donec in ultimam subtilitatis puritatem deueniat, & ultimo volatilis fiat, hic quidem est primus eius administrationis gradus.

Ab hinc vero cum modis fixationis figatur, donec in ignis asperitate quiescat, sic autem opus lunæ nimis album, & opus solis nimis rubeum, quia album opus est hyemis, rubeum vero æstatis, ideoque subtiliationis maioris partium indiget per modos proprios in maiori decoctione digestionis, scilicet donec rubicundissimum assumat colorem. Et in hac vna perfectione secundi gradus præparationis meta consistit.

Sed & in tertio est totius operis complementum, ut scilicet iam fixum lapidem cum modis subtiliationis volatilem facias, & iterum volatilem fixum, & fixum solutum et solutum iterato volatilem, & volatilem iterato fixum, quousque fluat & alteret in complemento, solifico & lunifico certo, quoniam ex iteratione præparationis huius tertij gradus in medicina, resultat alterationis, & bonitatis multipli

tiplis